

## DE OVIDII METAMORPHOSEON LOCIS QUIBUSDAM DISPUTATIO CRITICA.

Scr. L. Braune, Subrektor Gymn.

**S**i verum est, quod nemo dubitat, post tot tam egregias virorum doctissimorum curas in Metamorphoseon libris etiamnum superesse multa, quae artis criticae ope atque auxilio indigeant: facile eius excusabitur audacia, qui, quantumcunque est, ad sanandum illud Ovidii opus praestantissimum contulerit. Nam id quidem convenit inter omnes, nihil esse optandum magis, quam ut exempla scriptorum, qui in gymnasiis leguntur, a vitiis inveteratis quam maxime libera sint atque emendata: illud longe plurimi non curant, quid facere ipsos oporteat, ut tandem aliquando pristina illis, quoad eius fieri possit, forma restituatur. Scilicet perraro exsistunt ac fortasse nunquam, qui aut sagacitate ea sint ingenii aut ita excellant praeter ceteros doctrinae copia, ut, quidquid a vetustis inde temporibus vitii vel error hominum vel temeritas monumentis veterum intulerit, non modo videant, verum etiam removeant ita, ut sua cuique scriptori reddita videantur. Quod tantum abest ut fugiat me quam arduum sit ac prope divinum, ut eos vituperandos censeam, qui, quum nec iudicio nec doctrina valeant, tamen juvenili quodam ardore ad curandas novas scriptorum editiones feruntur. Quis enim nesciat, quam multi saepe viri doctrinae laude pariter ac iudicii acumine insignes de recta emendandi via deflexerint, ut etiam inviti in errores inciderent eos, de quibus nemo paulo eruditior nunc dubitet? Verumtamen eniti omnes decet, ut, si non in totum aliquem scriptorem, quod sane magnum est, at in singulos locos diligentius inquirent, et si quid invenerint rectius, in lucem proferant. Coniunctis enim multorum viribus plus proficitur, quam unius cuiuspiam viri licet summi solitaria opera: etenim omnia videre unius neque aetatis est nec hominis. Quodsi falsa fuerint prolata a minus doctis hominibus, ne id quidem inutile est, quoniam tum fere exsistunt illis doctiores, qui, dum refellere errores student, meliora doceant atque res dubias ad liquidum perducant. Vere enim Jacobsius teste Wuestemanno solebat dicere saepe in errore semina sparsa esse veritatis multosque errare debere, ut unus aut pauci verum intelligerent. Itaque nos, etiamsi paucissima nobis suppetebant emendandi subsidia, tamen illud semper propositum tenuimus, ut, si quae visa essent in Transformationibus, quas Latino nomine Weberus appellat,

vel dubia atque incerta vel interpolata et parum digna Ovidio, causas sive corruptelae sive erroris, quantum id quidem fieri posset, diligentissime investigaremus, quo vera ac genuina poëtae verba cum aliqua probabilitate cognosci possent. Difficilis vero res et lubrica! Primum enim cavendum erat, ne illud transversos ageret, quod ipse Ovidius fatetur manum ultimam coepto defuisse. Quod qui ita intelligat, ut vel aperta vitia iudicet apud elegantissimum poëtam ferri posse, nae ille longe a vero aberraverit. Quum enim multa sint, quae, si retractare licuisset, ipsum poëtam fuisse emendaturum existimem: nihil tamen eiusmodi reperies, quod omnino perversum videatur. Veluti, quum VIII, 190 Daedalus dicitur pennas in ordine posuisse a minima coeptas longam brevior se- quente, non illud quidem longam brevior se, sed brevior longa se- quente exspectaveris; neque tamen quidquam novandum esse scienter Jahnius contra Hennebergerum disputavit. Nonnulla eius generis conguessit Gierigius in Commentatione de opere Metam. Ovid. p. XVII. seq., quae si minus probaveris, certe condonabis ipsi facilitati poëtae, qui de se ipse praedicaverit:

Sponte sua numeros carmen veniebat ad aptos,

Et, quod tentabam scribere, versus erat.

Deinde, quod Heinsius putavit XIII, 333 et plures etiam versus ab Ovidio relictos esse imperfectos, hoc recte quum Gierigio tum aliis visum est parum convenire in fecundissimum poëtae ingenium. Quamquam ne his quidem omnino assentior. Non enim intercidissem existimo posteriorem partem illius versiculi, sed etiamnum exstare, siquidem ex eo, quod est commune complurium librorum nec inultus, spero, relinquer, illud conceditur, ut in uno Bersmanni codice verae scripturae vestigia agnoscamus. Sic enim scripsisse videtur Ovidius: Te tamen aggrediar, nec inultus, spero, relinquer, h. e. nec discedam, quin ultionem a te sumpserim: quae quidem ultio qua in re cernatur, verba sequentia satis aperte indicant: Tamque tuis potiar, faveat Fortuna, sagittis. Quodsi semel relinquer vel errore scribarum vel temeritate invectum erat, alii alia tentarunt, quibus sententiae succurrerent. Atque hac ipsa varietate scripturae credibile est librarium, cui codex Palat. primus debetur, inductum fuisse, ut versum imperfectum exhiberet. Hoc autem certe quum illo exemplo tum aliis innumeris docemur, quam sint vetustae interpolationes, quas plurimas expertum Ovidium inter omnes constat. Quare librorum auctoritas non est tanti facienda, ut, nisi aliqua illorum fides accesserit, ne manifestissimos quidem errores tollere audeas. Qua de re Bentleius audiatur, qui: Nobis, inquit, et ratio et res ipsa centum codicibus potiores sunt. Quid quod etiam Bachius, quum hanc sibi legem scripsisset, ut codicum potius niteretur fide, quam recentiores scripturas propagaret, tamen Jacobi Taurelli eximiam emendationem recepit? Nam ille VII, 759 seq. primus viderat legendum esse ita, quemadmodum nostra aetate legunt omnes: Carmine Laiades non intellecta priorum Solverat ingeniis, quum antea vulgo sic legeretur: Carmina Naiades n. i. p. Solvunt ing. Sed idem Hottingeri coniecturam, quae est una omnium praestantissima, XV, 103 sq.:

Postquam non utilis auctor Victibus invidit, quisquis fuit ille, ferarum — non modo commendare, sed restituere debebat. Profecto enim h. l. vim olim illatam poëtae cernis. Qui cum ferarum scripsisset, nescio quis inutilis auctor, ut cum poëta loquar, temere hoc iungens cum iis, quae proxime antecedunt quisquis fuit ille, non, quemadmodum sententia loci efflagitat, ad victibus referens, deorum reponendum putavit ex libri primi versu notissimo. Alii deinde, qui discrepare illud cum ipsius poëtae consilio (vv. 127 seq.) intellexissent, virorum substituerunt, idque, nisi omnia fallunt, hac potissimum de causa, quod virorum ipsa litterarum similitudine propius a genuino illo ferarum abesset. Jahnius quidem deorum ita tueri conatus est, ut, post ille posita interpunctione, victus eos intelligeret, quos dii dedissent, vel ad quos illi humanum genus ablegassent, i. e. fruges, poma et herbas. Sed ut taceam, quae sunt verissime contra illum a Bachio dicta: quis est, cui non vel illa Carne ferae sedant ieiunia (v. 83), vel ea, quae paulo post sequuntur (v. 87) Cumque lupis ursi dapibus cum sanguine gaudent persuadeant h. l. de victibus ferarum fieri mentionem, praesertim quum illis ipsis verbis, ut solet, Ovidius tanquam explicandi gratia haec subiecerit: Corporeasque dapes avidam demersit in alvum? Ergo librariorum portenta habemus, non ingenii politissimi partus eos, quos fovere tuerique deceat. Atque similes fetus v. 230 ab Heinsio primo felicissime detectos nec Jahnius recepit nec quisquam alius, quos equidem sciam, editorum propagavit: ubi quum in verbis, qualia recte sunt a principe illo criticorum constituta: fletque Milon senior, quum spectat inanes Illos, qui fuerant solidorum mole tororum Herculeis similes, fluidos pendere lacertos, alii solidorum more ferorum, alii solidarum more ferarum, alii denique solidarum mole ferarum exhibeant; quis non suo iure haec extirpanda esse etiam omnibus invitis libris censeat eaque reddat poëtae, quae et ratio postulat et illa suadent, quae Herculem facit similiter quentem Cicero: O pectora, o terga, o lacertorum tori!

Verum hanc ita damus coniectandi licentiam, ne quid mutetur, nisi rebus circumspectis omnibus. Quod Koeppenio video accidisse, qui XIII, 254 subtilius quam verius Ulixi haec tribuit: Arma negate mihi: fueritque benignior Hector, quamquam libri ad unum omnes de Aiakis nomine consentiunt. Etenim Hector, qui Doloni pro exploratione nocturna equos Achillis promiserat, sane benignior, h. e. liberalior Achaeis fuisset, si arma Achillis ei negassent, qui, non contentus exploratione, etiam Rhesi tentorium petiisset votisque potitus quasi triumphans ad naves rediisset (vv. 245—252). Nec vero magis mutatione opus esse iam dudum viderunt viri docti, quoniam ipse Ajax, quamvis inimicus Ulixi, tamen haec dixisset (vv. 101 seq.): Si semel ista datis meritis tam vilibus arma, Dividite, et maior pars sit Diomedis in illis.

Haec fere dicenda erant, ut, quam rationem iniissem in expediendis locorum difficultatibus, indices aequi ac boni intelligerent. Sequitur, ut de singulis quibusdam versibus quid iudicandum censuerim accuratius exponam.

XIII, 286 sq. in editione *Bachiana* sic leguntur:  
 riget ardua cervix:

Et setae densis similes hastilibus horrent,  
 quemadmodum ante illum *Weberus Corpore Poëtarum Latinorum* edidit. Codices quidem longe plurimi non densis exhibent, sed rigidis; ardua autem in uno codice *Francofurtano* exstat, horrida in ceteris omnibus. Scilicet non habebant viri docti, quo refugerent: aut enim horrida damnandum erat, aut id faciendum, quod illi reformidarunt, ut omnis qui sequitur versus eiiceretur. An illud horrida cervix aliud quidquam est, nisi ea, quae rigidis setis horreat? De densis nunc mitto dicere, quoniam id eiusmodi est, ut cum toto versu aut cadere debeat aut stare: ad illud recurro, quod huius quaestionis tanquam caput habendum esse existimo. Num revera cautum est a *Bachio*, ne inutiliter poëta iterasse sententiam videretur? Nempe arduam cervicem ille sic tenet, ut non per se illam quidem erectam fuisse concedat, sed tamen propter setas eminentes aptissime dici potuisse contendat. Quasi vero hoc aliud sit atque illud, quod horrida cervix significat; nam, licet verbum mutetur, res quidem ipsa non mutatur. Quid igitur faciendum est, ne temere poëtam si non loquacitatis molestissimae, at certe ubertatis cuiusdam minime gratae accusemus? Adde, quod non *Ovidius* tantum, sed etiam alii poëtae fere sic loquuntur: rigidis horrentia setis terga (v. 427), atque similiter in iis, quae *Polyphemum* audis de corporis sui dignitate praedicantem XIII, 846: Nec mea quod rigidis horrent densissima setis Corpora, turpe puta. Quamquam hoc quidem levius, quum alterum quoque dicendi genus quibusdam exemplis tueri possis. Sed etiamsi poëtam ita locutum hoc loco statueris, tamen scrupulum tibi non facile exemptum iri confido. Accedit, quo minus de interpolatione dubites, quod certe ab uno codice *Parisiensi A.* ille versus abesse dicitur. Maioris etiam momenti est, quod olim in editionibus aliis insuper versus erat additus, quem, in compluribus libris non comparentem, *Gierigius* quoque uncinis inclusit:

Stantque velut vallum, velut alta hastilia setae.  
 Alterutrum versum reprobandum esse quis non intelligat? Atque hoc iam dudum inter viros doctissimos convenit, alterum istum adulterinum et parum poëta dignum videri. Quis enim tam agrestem exaggerationem, qualis inest in verbis velut alta hastilia, apud eum tulerit poëtam? quis non, optio si detur alterutrum eligendi, rigidis similes hastilibus sine ulla dubitatione praefendum duxerit? Sed ne diutius te morer, mihi quidem etiam ille versus, quem novissimi editores non dubitarunt recipere, poëtae abindicandus videtur. Quod quum *Heinsiorum* aliorumque virorum suadeat auctoritas, tum certae quaedam minimeque indubiae rationes mihi ita persuadent, ut iam nullus dubitationi locus relinqui videatur. Etenim si *Virgilio* satis fuit horridum dicere suem (*Georg. IV*, 407); si idem magnorum horrentia centum Terga suum (*Aen. I*, 634) dixit ita, ut ipso nomine setarum supersederet: eadem *Ovidio* dabitur dicendi brevitatis, neque erit dubitandum, quin satis ille habuerit horridam cervicem appellare,

quo apri Calydonii setas significaret. Non ita censuit vetustus librarius, quisquis fuit ille, qui primus facticio versu poëtam inquinavit. Is quum vidisset Ovidium, qui singulari quodam impetu ingenii quasi stans pede in uno versus funderet, in descriptionibus praesertim rerum ita fere versatum esse, ut minutissimas quasque earum partes non copiosa tantum, sed exuberanti oratione adumbraret: nonne veri simillimum est eundem propter hanc ipsam Ovidii ubertatem sibi persuasisse, ut poëtam tractasse copiosius setarum descriptionem censeret? Quamquam minus illum temeritatis quam credulitatis accusandum esse existimo. Etenim hanc arbitror causam fuisse interpolationis, hunc omnis sive temeritatis sive erroris fontem. Adscripserat nescio quis, ut, quid horrida esset, diceret planius, haec verba: rigidis setis, quod ipsum poëtam prorsus simili genere dicendi usum esse animadvertisset (v. 427; XIII, 846). Meminerat idem a Virgilio ipsi etiam adiectivo horridus adiungi ablativum in hisce: densis hastilibus horrida myrtus (Aen. III, 23). Quid mirum, si illis verbis, quae explicandi causa adscripsisset, etiam haec addidit, quibus suam ipse explicationem confirmaret: namque similes setae densis hastilibus, quomodo Virgilius, Latini sermonis testis longe gravissimus, esset locutus? Hinc versum alii hunc procluserunt:

Et setae similes rigidis hastilibus horrent,  
alii illum:

Et setae similes densis hastilibus horrent.  
Haec si, non falsa specie deceptus, sed ipsius rei quadam ductus necessitate disputavi, multo etiam minor esse debet, quum de altero versu quaeritur, dubitatio. Qui quidem, nisi egregie fallor, ab eo est inventus, qui illud namque, quod erat in glossa, numeris metricis nullo pacto concinere intellexisset eamque ob causam primum stantque corrigeret ac deinde cetera utcumque metri vinculis aptaret: in quo commento quamvis audaci tamen laudis aliquam ille sibi partem quaesivit, scilicet quod et rigidis et horrent, quae inanis tautologiae vitio laborarent, callide sibi vitasse videretur.

Similiter labem VII, 185 illatam suspicor, quae tamen ea est, ut omnium consensu interpretum locus nativae simplicitati restitutus esse videatur. In plurimis enim codicibus haec leguntur:

Homines volucresque ferasque.

Solverat alta quies, nullo cum murmure serpens.

Sopitis similis nullo cum murmure serpit.

Alii pro serpit exhibent id quod ab ipsius poëtae manu, quamquam alio verborum ordine, profectum est sepes. Videtur autem corruptela ex duplici fonte manasse: primum ex interpretamento participii immotae, supra quod si quis sopitis similis scripserat, metrica verborum forma quamquam fortuita potuit alios in hunc errorem inducere, ut alteram superioris versus partem scribendo iterarent; neque vero id corruptelae genus novum est, siquidem Lucretii versum V, 1327: in se fracta suo tingentes sanguine tela ex interpretatione

unius vocis infracta, quae v. 1326 legitur, prorsus similiter ortum esse non sine probabili ratione iudicamus. Altera haec fuit causa corruptelae, quod nescio quis sciolus, memor Virgiliani loci notissimi, in quo prima quies gratissima serpere dicitur (Aen. II, 270), ineptissime verbis Ovidii serpens addendum putasset. Jam quum sic legerentur verba:

Homines volucresque ferasque  
Solverat alta quies, nullo cum murmure serpens,  
Sopitis similes nullo cum murmure sepes,  
Immotaeque silent frondes —

ab alio quodam, cui serpens instar substantivi videretur, infelicissime totus ille versus effictus est:

Sopitis similis nullo cum murmure serpit.

Quod autem in duobus libris, et Lipsiensi primo et quarto Basileensi, duo verba et serpunt et strident leguntur, eaque ita, ut ne subiectum quidem appareat, id ipsum vel maxime documento est, quantum fuerit olim turbatum in libris; neque est, quod cum Bachio ex hisce pannis misere laceris vestem aliquam, quae sedeat melius, consuere conemur. Ceterum Planudis versionem Graecam non tanti esse, ut vel emendatum ille exemplar habuisse vel diligentius in interpretando versatus esse videatur, quum alibi apparet, veluti v. 213, ubi Custodemque rubrum aut legit aut legisse sibi visus est, tum huius loci interpretatio luce clarius ostendit. Quodsi hoc ipso intelligitur, quam inveteratae sint quaedam corruptelae atque vitia, tamen, quum etiam hoc loco nonnulli codices dicantur versum alterum omisisse, non omnino erit desperandus Ovidius.

Transecamus ad alium locum poëtae qui est libri primi vv. 545—547, quo luculentius sive audaciae librariorum sive temeritatis exemplum non facile invenies: adeo sunt salebrosa omnia atque impedita. Quum enim vulgo, ne Bachii quidem excepta recensione, talia legantur — ut perspicuitati consulerem, singulorum versuum numeros adscripsi —:

545 Fer, pater, inquit, opem, si flumina numen habetis;

546 Qua nimium placui, tellus aut hisce, vel istam

547 Quae facit, ut laedar, mutando perde figuram!

quam mirabilis iste filiae precantis a patre ad tellurem transitus! quam discerpta et lacerata orationis membra! quam denique otiosa sententiae eiusdem, qua de Apollinis amore conqueritur Daphne, iteratio! Nam et Rodium verba qua nimium placui sic interpretantem: wo ich allzuviel gefiel, merito explosit Gierigius, quem non fugeret huius loci cum II, 474 similitudo; nec audiendus est Bachius, qui verborum ordinem hunc nobis constituit: Fer, pater, opem; aut Tellus, qua (parte) nim. placui, (vel) hisce, vel istam — p. figuram —; immo referenda sunt illa: qua nimium placui, ad figuram, nisi forte contortulam velis imputare orationem ei, quo nec planius quemquam nec dilucidius locutum consentiunt omnes. At synchysis, inquirunt, videtur quodammodo excusari posse; quae enim in summa animi perturbatione proferuntur, ea ut divellantur inter se

et quasi turbide iacentur, facit ipsius naturae quaedam necessitas. Audio; nec vero minus ille scrupulus mihi penitus insidet. Ut enim concedam licuisse poëtae Tellus aut inverso ordine dicere, cuius rei exstare documenta haud infitior: tamen hoc qua nimium placui quomodo sic libere vel potius licenter potuerit praemitti, id equidem exputare non possum. Sed ut redeat illuc, unde deflexit, oratio: quis non omnem verborum sententiam iure miretur? Qui Telluris opem implorat misera virgo, quae satis a patre auxilii exspectare posset? Neque in Lactantii Argumento quidquam de Tellure. Accedit, quod in uno certe libro Palat. eoque, si quid est in Bachio iudicii, optimae notae, versus 546 deesse dicitur, in alio Gronovii cum eodem etiam is qui sequitur 547. Adde, quo magis tibi quam sint incerta omnia persuadeas, quod in Rhen., Berol. et duobus Heinsii versus 544, 545, 546 alio atque in ceteris omnibus ordine leguntur. Quae quum ita sint, Gierigii admiror sagacitatem, qui, etsi mutandi audacia abstinuit, tamen contrahendos esse versus in hanc formam primus omnium intellexit:

Qua nimium placui, mutando perde figuram.

Quod quum ipsum per se satis commendabile videatur, tamen, nisi esset certa quaedam veri noscendi nota, non omnem dubitationi materiem detractam diceres. Itaque cogitanti mihi diu multumque de huius rei difficultate visa est sedes interpolationis latere in hisce: quae facit, ut laedar. Quae quoniam nihil profecto declarant aliud, nisi quod satis superque est verbis qua nimium placui expositum: dubitabimus, quin pro scholio sint habenda? Fac interpretandi gratia haec olim apposita fuisse: ait (sic enim quum editiones principes habent, tum libri manu scripti tantum non omnes) hisce (sc. verbis poëta): quae facit, ut laedar; iam vides, quam fuerit facile, ut nescio quis librarius, inductus ille quidem non solum metri quadam specie, sed etiam verbi hisce ambiguitate, eam versuum quae nunc vulgatur formam constitueret. Quo enim hisce, quum perverse haberetur pro imperativo, referendum fuit, nisi ad Tellurem, praesertim quum non modo apud alios poëtas, ex quibus Virgillii locum Aen. IV, 25 sq. huic Ovidii prope geminum imprimis appello, verum etiam apud hunc ipsum precari eadem dicerentur ii, qui spem omnem salutis abiecissent? \*)

\*) Ad hos Ovidii locos liceat mihi velut cumulum addere Lucretii ex libro quarto v. 991. Ubi quum haec verba praecedant: Quippe videbis equos fortes, quom membra iacebunt In somnis, sudare tamen spirareque semper Et quasi de palma summas contendere vireis, sequantur autem illa: Venantumque canes in molli saepe quiete — cui non suspiciosus videatur is versus, qui medius inter utramque partem orationis interiectus est: Aut quasi carceribus patefactis saepe quiete? In quo non solum principes criticorum et quasi antesignanos Bentleium et Wakefieldum video offendisse, sed ad unum omnes, quicumque a Lambino usque ad nostram memoriam in difficillimo scriptore aut emendendo aut explanando operam ac studium posuerunt. Accedit Jacobsii auctoritas (Blumenl. d. R. D. II, p. 346), cuius quam subtile fuerit in hisce rebus iudicium non ignorant, qui singularis viri in has litteras merita recordantur. Non tamen cancellos huic versui addidit Forbiger, qui: „Mihi quidem, inquit, in ultimis tantum verbis, librarii oculis ad exitum sequentis versus aberrantibus, corruptus, sed non omnino nothus videtur.“ Quid,

Huic tam manifestae interpolationis generi non dubito eum quoque locum subiungere, qui non mediocriter virorum doctissimorum ingenia exercuit (VI, 280—283):

Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore,  
Pascere! ait, satiaque meo tua pectora luctu,  
Corque ferum satia, dixit; per funera septem  
Efferor: exsulta victrixque inimica triumphata.

„Versum 282 tollendum censuit Heinsius, quem commenti sint, qui non intellexerint, quantum esset acuminis in illo, Efferor; aut, si quis malit, posse praecedentem deleri.“ Haec Gierigius. Ipse quidem alterum praetulit, ut versum 281, quippe alienum poëtae, uncinis includeret. Consentiant Jahnius et qui plerumque huius legit vestigia Loersius; Bachius autem et ille, quem saepius appello, Corporis Poëtarum Latinorum editor in diversas abierunt partes, quorum alter eundem illum versum tueri conatus est, alter ita abiudicavit Ovidio, ut, Ovidii si esset, totam loci constitutionem aliter habuisse iudicaret. In hac tanta sententiarum varietate non quid verum, sed quid probabile sit videndum est. Et primum quidem illud non facile Bachio concesseris, inanem istam loquacitatem eo excusari posse, quod luxuriari fere poëtam in tali oratione videamus. Aliter illi veteres, quorum alii, ut aliquatenus variarent orationem, v. 280 cruore scripserunt, alii versum seq. audacius ita exhibuerunt: Dum pars nostra iacet, et dum per funera septem. Quid quod Capofer. pectora in lumina ex alio loci (XIV, 728) imitatione et dixit in vixi mutavit? Quorum commenta si reprobamus, iudicia certe probamus. Etenim illa satia meo tua pectora luctu vix quidquam differunt ab iis, quae antecedunt Pascere nostro dolore, ut non desit suspicio, quin ista interpretationi debeantur. Ut enim statuamus non tua pectora, quod sane poëtarum est, scripsisse interpretem, sed animum potius vel mentem, quemadmodum orator locutus est pro domo 22: nonne potuit doctus aliquis librarius, qui simillima se legere IX, 176 seqq. meminisset, haec ipsa interpretantis verba ita immutare, ut et metri ratio constaret et alterius loci conformatio quam maxime cum altero congrueret? Nec tamen id quod voluit ille consecutus est. Audiamus enim Herculem diris dolorum agitationum cruciatibus:

---

si priorem partem versiculi, quae Creechii videtur sententia fuisse, ex alieno loco huc esse delatam dicimus? Leguntur autem haec II, 263 sq.: Nonne vides etiam, patefactis tempore puncto Carceribus, non posse tamen prorumpere equorum Vim cupidam tam de subito, quam mens avet ipsa? Quae si quis cum illis comparaverit, facile adducetur, ut patefactis carceribus a vetere explanatore adiectum existimet. Quid enim esset de palma contendere, nulla re melius potuit illustrari, quam carcerum facta mentione, unde in ludorum Circensium solennitate equi de palma certaturi emitterentur. Nam de novissimis quidem verbis saepe quiete non dubito. Quod Metam. VII, 185 factum videmus, ut ex vicino versu quaedam in facticium irreperant, idem Lucretio potuit accidere.



Cladibus, exclamat, Saturnia, pascere nostris!  
Pascere, et hanc pestem specta, crudelis, ab alto,  
Corque ferum satia!

in quibus nihil otiosum esse reperies: quod contra est in Niobes oratione, qualis vulgo legitur. Itaque satis erit haec dare Tantali filiae:

Pascere, crudelis, nostro, Latona, dolore,  
Corque ferum satia! dixit. Per funera septem  
Efferor . . . .

Ceterum quod Bachius coniunctionem istam verborum ait — dixit similibus non tantum Ovidii exemplis, sed etiam aliorum tuendam suscepit, non hoc interest, repeti verba dicendi, sed cur aut quomodo repetantur. Atqui omnibus quotquot ille laudavit locis, certe Catulli, Virgilii, Ovidii, Statii, probabilis aliqua huius rei ratio ultro et sponte elucet<sup>o</sup>): hoc loco, in quo nunc versamur, dixit ita est priori verbo subiectum, ut, qua de causa subiectum sit, frustra quaeras. Neque IX, 176 seqq. ullum est verbum praeter exclamat additum.

Ad eundem denique ordinem VIII, 602: Affer opem; mersaeque, precor, feritate paterna — revocandum esse censeo, ut haec fuerint Acheloi:

Cui quondam tellus clausa est feritate paterna,  
Da, Neptune, locum!

Recentiores quidem critici plerique omnes, uno codice Voss. atque editione etiam Rom. suffragantibus, versum 601 eiecerunt; Bachius, quae est huius viri religio, utrumque retinuit, sed ita, ut altero versu (602) id quod coniectando invenerat Bothius pietate ex uno codice Bersm. reciperet; fuit etiam, qui hanc adhiberet loco conclamato medicinam, ut facili, quemadmodum ipsi videbatur, mutatione quaequam pro quondam scriberet, quam quidem nullam esse medicinam ne ipse quidem hodie diffitebitur. Quantum inter se discrepent sententiae, vides:

<sup>o</sup>) Noli pluribus persequi rem in vulgus notam eamque non semel a viris doctis expositam. Illud non possum transire silentio, in locis iis, quorum Bachius fecit mentionem. Met. X, 411 sq. haberi, quod aut errore factum est, aut minus diligenter ille ad verba poetae attendit. Namque in his *Discede, precor, miseroque pudori Parce*, ait. *Instanti, Discede, aut desine*, dixit, *Quaerere, quid doleam!* quis non necessario dicendi verbum requirat? Quod idem cadit in haec Virgilii (Aen. IV, 659 sq.): *Dixit, et os impressa toro: Moriemur inultae, Sed moriamur*, ait. *Nec debebat ille Met. VI, 385 sq. afferre, ubi Marsyas: Quid me mihi detrahis!* inquit. *Ah piget, ah! non est, clamabat, tibia tanti!* In his enim gradatio inest, quae quam sit rei conveniens latet neminem. Adde denique VIII, 231 sq.: *At pater infelix, nec iam pater, Icare, dixit, Icare, dixit, ubi es?* in quibus plenum commiserationis poetam ex ipsa repetitione verborum agnoscimus. Ceteri omnes poetarum loci, in quibus vel inquit orationi vel ait insertum est, „etsi verbum, quod secuturam orationem indicat, antecessit“ (Kuehner. Cic. Tusc. V, 36, 105), eiusmodi esse inveniuntur, ut ad Bachii quidem rationem defendendam nihil afferant.

quarum tamen omnium illud commune est, non potuisse scribi a poëta utrumque versum, sicut vulgo legitur. Quorsum enim ista eorundem verborum iteratio? Quotquot huius generis exempla circumspexeris, quae sane plurima suppeditat Ovidius, ne unum quidem reperies, quod cum illo possit comparari. Neque enim sine aliqua causa graviore iterari verba solent, quamquam interdum id ludere poëtam non equidem ignoro. Plerumque autem sic redeunt, ut fortius efferantur ea, quibuscum coniuncta sunt, magisque elucescant opposita, veluti I, 635: Illa etiam supplex Argo quum brachia vellet Tendere, non habuit quae brachia tenderet Argo; I, 687: quaerit quoque — namque reperta Fistula nuper erat — qua sit ratione reperta. Quo in genere habemus Ciceronis illa de Fin. I, 20, 68: quosque labores propter suam voluptatem susceperit, eosdem suscipiet propter amici voluptatem. In his multa non sine vehementiore animi motu proferuntur; cfr. imprimis I, 325 sq. 481 sq. IV, 152 sq. 306—309. Praeterea non raro vim pronominis alicuius vel simpliciter habet iteratio vel adverbii notione adiuncta. Nam quum dicitur I, 700: Talia verba refert. Restabat verba referre, hoc dicitur: Restabat id ipsum (ut referret). Cfr. VI, 484 sq. XIV, 384 sq. Sic IV, 686 ex intervallo sequuntur eadem fere verba, quae v. 680 legebantur: nomen terraeque tuumque, ut intelligas ea ipsa respondisse Andromedam, quae sint a Perseo interrogata. Adverbii potestas agnoscitur in hisce: Ipse precor serpens in longam porrigar alvum! Dixit; et, ut serpens, in longam tenditur alvum (IV, 575 sq.): quod ita dixit poëta, ut affirmaret id ipsum revera factum esse, quod esset precatus Agenorides. Huic affinis est locus II, 702 sq.: Sub illis Montibus, inquit, erunt; et erant sub montibus illis. Adde I, 590 sq. IV, 766—768.\* Sed haec hactenus, quoniam toti huic quaestioni abunde mihi videor satisfacisse. Quid enim? Nimirum apparet non ita esse locum iterationi, ut sententiae plane idem declarantes iuxta ponantur: quod si esset factum, nonne nostro quodam iure Ovidium ineptiarum accusaremus? Haec ipsa causa fuit, cur vetustus ille librarius, a quo suum pietate Bachius mutuatus est, a librorum fide recederet. At quo tandem iure poëtam pietate dixisse existimabimus? aut cuius

\*) Mihi quidem certo est certius Ovidium scripsisse v. 768 cultusque habitusque locorum, ut significaret ea ipsa, quae Perseus interrogasset, re etiam vera atque sine ulla cunctatione narrata esse a Lyncide. Etenim ut male nos habeat repetitio: nihil tamen ineptius est, quam moresque habitusque (alii habitumque praeferunt, Bothius, ne quid resideat offensionis, animosque!) virorum narrare eum, ex quo cultusque habitusque locorum quaesieris. Et cur tandem vel duo haec hemistichia: Quaerenti protinus unus Narrat Lyncides nonnullis in codd., vel in aliis integrum v. 768 deesse dicam? Videsne, quanta cum sedulitate librarii conati sint mederi Ovidio? Nonne hoc in oculos incurrit, gravatos iteratione verborum illos quasi certasse, ut orationem, quae displicuisset ipsis, quovis modo sanarent? De re quidem ipsa iuvat consulere O. Muellerum (Prolegg. zu e. wiss. Myth. p. 312 sqq.), qui Perseum docet daemona fuisse coniunctissimum Palladi, quae a vetustissimis Argivis pro dea fertilitatis sanctissime coleretur. Hinc emergit, quam vim habeat illud, quod prae ceteris non solum de ingenio atque natura locorum, sed etiam de colendi ratione quaeritur.

vel patrem vel quasi patrem dici Neptunum censebimus, si eum, quae est Bachii opinio, pietate paterna ut opem ferat, Achelous precatur? An Perimeles? Scilicet quae iam non in terra, sed in mari iactaretur! An Acheloi? Id licet speciose dici potuerit, praesertim propter v. 596: In quo desinimus, quo sacri currimus amnes; tamen de Acheloo cogitare orationis ipso contextu prohibemur. Neque iuvat sic transferre, quemadmodum Bachius conatus est: und gönne der Versenkten aus zärtlichem Wohlwollen eines Vaters einen Aufenthalt bei dir: hoc enim est subterfugere rei difficultatem, non tollere. Quodsi demonstravimus pietate omnino ferri non posse, alterutrum nobis faciendum est, ut aut versum 601 damnemus aut eum qui sequitur: Affer opem; mersaeque, precor, ferit. p. Mihi quidem inferior iste non uno nomine suspectus videtur. Primum enim hoc movet suspicionem, quamquam id quidem levius, quod afferre opem apud Ovidium nisi hoc uno loco nusquam legitur. Deinde illud precor quis non videt male esse repetitum? Idem enim Achelous v. 597 dixerat: audi placidus, Neptune, precantem. An quisquam est, qui malit vocantem, quod in duobus Bersm. codicibus reperitur? Accedit alia causa eaque, si quid video, longe gravissima, quod veri simillimum est librariorum corrigere voluisse orationem, quae non satis rei accommodata esse videretur. Non enim isti tellurem clausam esse filiae simpliciter, sed mersam a patre filiam putabant dici oportere, quo gravius impietas patris notaretur. Quem quidem librariorum conatum nescio an ipse potuerit iuvare Ovidius his verbis: O cui ius coeli bis sex fecere labores, Fer, precor, inquit, opem (XI, 39 sq.), quorum non desunt similia apud eundem (XIII, 880. IX, 775). Alia superioris versus ratio est, quem ut restituamus, ipse nexus sententiae non suadet, sed postulat. Hoc enim precatur Achelous, ut, cui terra patris impietate sit clausa, ei Neptunus det locum, h. e. ut in mari eam tanquam hospitio excipiat. Quam sententiam quis non dignissimam arbitretur Ovidio, cui antitheta fere in deliciis esse soleant? Quod superest, paucis de quondam dicemus. Namque id recte ait Augustus Henneberger in causis fuisse, cur v. 601 critici recentiores tollendum iudicarent, „quod Perimele modo in mare propulsa quondam a terra prohibita esse diceretur.“ Cuius in locum quod Bothius voluerat substitui quoniam, id quidem Bachius ita reiecit, ut quondam eodem quo nuper significatu acciperet. Atque hoc, quamquam non satis recte, tamen rectius multo videtur fecisse, quam illi, qui propter hanc nram voculam toti versui fidem denegarunt. Etenim quondam non solum hoc potest significare, quod ille dixerat, sed illud quoque tempus, quod paulo ante, atque etiam quod modo fuit. Sic XII, 244, quem locum probandi causa laudavit Bachius, non propterea vasa epulis quondam apta dicuntur, „quod per longum tempus quod praesenti pugnae antecessit epulis apta fuissent,“ sed omnino quod antea; hoc enim imprimis tenendum est, quondam et nunc saepenumero ita inter sese opponi, ut illo non tempus multo ante praeteritum significetur, sed praeteritum simpliciter, etiamsi de proximo sit cogitandum. Exempla si quaeris, Ovidii quidem unum e luculentissimis illud est XII, 530 sq.: O salve, dixit, Lapithaeae

gloria gentis, Maxime vir quondam, sed nunc avis unica, Caeneu. His enim Mopsus eum prosequitur, qui paulo ante, non olim, fuerat fortissimus.

Quae adhuc sunt disputata, ea omnia pertinent ad totos versus suppositios: nunc partes versuum quorundam in disceptationem vocabimus, quas olim corruptas esse a librariis apparet ita, ut, quid vel scripserit poëta, vel quid eum scripsisse probabile sit, pro sua cuique parte quaerendum esse videatur. Quo ex genere apud Ovidium tam multa sunt tamque impedita difficultatibus, ut non solum quaenam potissimum examines incertum sit, sed multo etiam magis, quoniam illa modo sint restituenda. Nos quidem, qui huius sunt scriptiunculae fines, pauca tantum accuratius pertractabimus.

VI, 185 sq. Heinsium recte sic edidisse censeo: Nescio quoque audete satam. Plurimi codices cum Planude editionibusque Parm. Venn. Aldd. exhibent: Quoque modo audetis genitam. Bachius, qui Nescio quo audetis genitam praetulit, quae particulam vult suspectam esse, nec minus satam vel natam. Cur autem suspecta sint verba, dicere negligit. Quod audetis plurimorum nititur testium auctoritate, id quidem solum per se non potest pro certo argumento haberi: nam tot saeculorum decursu non semel factum est, ut ne unus quidem librarius id quod esset a poëta scriptum servaret. Itaque non tam numerus librorum, quam quid sententiae loci conveniat videndum est, praesertim quam illud audetis quomodo in contextum verborum irrepserit facillime perspicitur. Quippe nihil accidit crebrius, quam ut littera una aliqua errore scribentium iteraretur. Proinde si quis audetessatam scripserat, nonne proclive fuit audetis satam mutare? Quum autem ferri non posset, qualis nunc versus legeretur: Nescio quoque audetis satam Titanida Coeo, alii aliter metro consuluerunt. Hinc aut sic scribebant: Quoque modo aud. genitam, aut sic, ut natam praeferrent. Etenim non tam illud quod cum contentu dici solet nescio quo, quam nescio quoque videtur offensioni fuisse. Accedebat etiam soni quaedam insuavitas: quam illi tulissent patientius, si alia id genus plurima meminissent (quoque hoc IX, 433; quoque Apidani VII, 228). Bachius, qui suam lectionem partim ex Goth. B. et Bersm. codice, partim Jabnio, quamquam is aliam praefert, suasore concinnavit, quum abrupti orationem non ignoraret, tamen eo ipso fortius efferri sententiam sibi persuasit. Mibi quidem frigere quodammodo videtur oratio Latonae admissio audetis, fortius autem multo efferri continuatis imperativo et particula verbis: Nescio quoque audete s. T. C. Etenim Niobe, qua erat superbia, quasi dea quaedam loquens inducitur, non tanquam mortalis femina, neque dubitandum, quin minitans haec loquatur, quasi se poenas illis, si Latonam praetulissent, irrogaturam promittat. Atque his etiam illa, quae v. 201 sequuntur, Ite sacris multo sunt aptiora.

VI, 200: Latonae turbam, quae quantum distat. Miras hic locus turbas excitavit. Necessè est autem, quo melius quid sit verum, quid non sit, intelligatur, et eos qui praecedunt versus et qui sequuntur transscribam:

Fingite demi

Huic aliquid populo natorum posse meorum:

Non tamen ad numerum redigar spoliata duorum,

Latoniae turbam — quae quantum distat ab orba!

Ite sacris, properae ite sacris, laurumque capillis

Ponite! Deponunt infectaque sacra relinquunt;

Quodque licet, tacito venerantur murmure numen.

Indignata dea est . . .

Ac primum quidem, ne in v. 197 haereas, properae ite ea de causa scripsimus, quod una lectionum variantium quas vocant facillimam ex illo invenit explicationem. Est enim in libris non solum *Ite satis* (vel *Ite sacris*) prope *sacris*, verum etiam hoc: *Ite satis properate sacris*, unde Giergius: *Ite sacris, properate sacris*: quod merito Jahnius repudiavit. Nam quum et ipsa verbi eiusdem iteratio et acceleratus numerorum ut ita dicam incessus vel maxime eam deceat, quae sit animo commota vehementissime: tum, si properate scripsisset Ovidius, prope unde ortum esset non facile explicares. Quod contra est, si vel prope vel properae ite poetae vindicaveris. Sed tamen hoc alterum equidem praetulerim, quia propius videtur ad illius properate similitudinem accedere. De ablativo autem casu quod haesitant, si non ipsius Ovidii ea quae sequuntur laurumque capillis *Ponite*, certe haec Valerii Flacci *It tectis Argoa manus* (Arg. III, 3) liberio rem ablativi usum ita ostendunt, ut, qui prope a sacris correxerit, parum prudenter fecisse videatur. Cfr. Kruegeri Gr. Lat. §. 369. Versus igitur 200, qualis est in Bachii editione: *Latoniae turbam quae quantum distat ab orbam?* nescio quid rude sonat atque inconditum, quomodo poetam locutum esse vix ac ne vix quidem mihi persuadeo; eamque ob causam, etiamsi revera sic legitur in cod. Bas. tertio atque Andino, longe illud a veri similitudine abesse arbitror. Quod praeterea affertur *Lat. turba q. distabat ab o.*, id arctissimo quodam vinculo esse coniunctum cum eo versu, qui olim huic adhaerebat: tantum animosa sui furiis agitata doloris, nemo non videt. Versus autem uterque cum olim, antequam I. Fr. Gronovius callidissime verum versuum ordinem restitueret, post v. 203 legeretur, quomodo oriri potuerint turbae, in propatulo est. Primum enim numen v. 203 non addito deae nomine offensionem erat. Deinde vero constructio verborum non satis expedita quae quantum distat ab o. displicebat. Quibus adducti causis eo audaciae librarii processerunt, ut versuum immutato ordine haec *Latoniae* etqs. subiungerent illis *tacito venerantur murmure numen*. Iam vero non solum *turbam* erat mutandum ita, ut sententiae loci congrueret, itaque scriptum est *turba q. distabat*; sed etiam versus ex imitatione illorum furiis ag. dol. (VI, 595) et animosa (v. 134) factus additusque est, scilicet ne quantum sine sensu legeretur! Hinc ista series versuum obsedit libros:

— tacito venerantur murmure numen  
Latonae. Turba quantum distabat ab orba,  
Tantum animosa sui furiis agitata doloris,  
Indignata dea est.

Haec tam misere consarcinata quum iam veterum librariorum longe plurimis displicerent, subditicius ille versus iure omissus est. Neque tamen minus haec sunt a nonnullis propagata: turba q. distabat, quum alii, turba quae q. distat edentes, a vera scriptura haud procul abessent. Quorsum igitur haec omnis disputatio? Nempe hoc agitur, ut et causam cur non potuerit servari a librariis eluceat, et uno aliquo exemplo eoque insigni demonstretur, quam sit fallax fides quamque dubia librorum omnium. Quare non amplius id reddere poëtae dubitabimus, quod esse poëtae, quamquam ne uno quidem libro addicente, tamen ipsa ratio evincit. Nec vero qua scribemus cum Krebsio, qui primus haec proposuit: duorum, L. turbam, qua q. d. ab o. Namque pronomen aptius multo ad Latonam refertur, quam ad liberos Latonae; in eo enim omnis vertitur comparatio, ut se quidem ipsam Niobe tot liberorum numero beatam praedicet, Latonam, duorum matrem, vix dignam esse dicat matris nomine.

XIII, 622 non dedantur, quod est in editionibus, sed reddantur mihi placet. Quod Bachius affert non repeti Anii filias, quasi antea fuerint in illam sedem, i. e. Andron, relegatae, sed expeti ad supplicium, minus rectam sibi ille de hoc genere verborum notionem conformavit. Redditur enim, ut ait Forbiger (Virg. G. II, 194), quidquid debetur; repetit autem, quisquis suo iure aliquid aut tanquam sibi debitum petit, siquidem vera est C. Nauckii observatio, qui vim eandem nec disparem in reponendi, reperiendi, restituendi, revocandi verbis obtinere exemplis scriptorum haud ambiguis comprobavit (N. Jahrb. LII, 2. p. 187; pro Arch. p. 25). Atqui abstraxerat illas a patre Agamemno; iam in huius fuerant potestate, non liberae. Ergo repetere eas, quum effugissent, quidni suo iure aut poterat aut posse videbatur? Neque est quod dubites, quin v. 664 haec sint poëtae restituenda: Reddidit; et timido posses ignoscere fratri. Quae enim alii volunt dedit, tradidit, correctorem sapiunt. Deinde, quod ab ipso est Bachio XII, 257 traditum de usu praeteriti temporis, idem vel maxime quadrat in huius loci rationem: ut mireris praestanti virum doctrina adeo non sibi constitisse, ut in illis Heinsii Dedit; et, ut — possis acquiesceret. Nihil autem hisce et — posses Ovidio quidem familiaris, modo sic interpretere: und wirklich (qua de particula optime Bachius disseruit III, 456. V, 37. VII, 145) hättest du verzeihen können. Iam vide, quid illa valeant: Non hic Aeneas, non, qui defenderet Andron, Hector erat — quae tamen ipsa librariis, qui coniunctionis vinculum desiderarent, mutandae orationis causa fuere.